

ciendas hujusmodi exceptiones, respondeo breviter, in primo modo præcipue considerandum esse, an in eo casu occurrat aliud præceptum, præsertim juris divini et naturalis cui repugnet executio legis humanæ secundum verba ejus, et consequenter an actus tunc habeat injustitiam vel malitiam inseparabilem, vel saltem contra præceptum gravius et magis obligans, et juxta hæc principia debet fieri judicium. In secundo modo consideranda sunt supra dicta de modo obligandi legis humanæ, et juxta illa judicandum erit an hoc factum particulare cum his circumstantiis excedat potestatem legis humanæ. In tertio vero magis est utendum conjecturis ex circumstantiis desumptis, et præsertim ex usu et modo regiminis, et ex more interpretandi similes leges.

13. *Aliquando obligatio legis cessat propter bonum personæ particularis.* — Unam tamen in particulari inferam ex dictis, propter opinionum varietatem, non solum posse cessare obligationem legis quando in particulari eventu esset contra bonum commune servare legem, sed etiamsi sit tantum contra bonum particularis personæ, dummodo sit nocendum grave et nulla alia ratio communis boni obliget ad illud inferendum vel permittendum; nam tunc justitia vel charitas jubet evitare tale nocendum proximi, cui non potest lex humana rationabiliter opponi. Ita Soto supra et omnes, nec refragatur D. Thomas; nam licet in dicto articulo sexto loquatur de detrimento communis boni, sub illo comprehendit detrimentum particularium civium; nam in damnum civitatis redundat, ut manifeste patet in exemplo quo utitur, et alia sunt facilia; nam propter subveniendum proximo graviter infirmanti interdum licere potest Missam omittere in die festo, et sic de aliis. Dicunt vero aliqui hoc solum habere locum quando tale est detrimentum proximi ut non possit cedere juri suo, ut est in periculo vitæ, vel simili; non autem quando potest cedere juri suo, ut erit in bonis temporalibus, quia tunc detrimentum privatum non vergit in damnum communitatis: si enim vergeret, non posset privatus illi renuntiare. Sed hoc verum non est, tum quia etiam propter vitandum grave nocendum proximi temporale quod ipse posset voluntarie sustinere si vellet, licitum est interdum non observare præceptum, ut, verbi gratia, si incendium domus imminet, vel quid simile, quia lex nec obligat illum qui patitur damnum ad cedendum juri suo, nec alium ad non succurrendum illi ipso invito, propter au-

diendam Missam, verbi gratia. Item quia illud damnum semper redundat in communitatem ejus interest ut bona civium non dilapidentur.

14. Aliter limitant juristæ dictam assertionem ut procedat quando detrimentum vel proprium vel proximi est in bonis acquisitis, non vero in acquirendis: nam ex hoc sumi non potest sufficiens excusatio, quia illud non est verum detrimentum, seu damnum emergens, sed tantum lucrum cessans, quod non consideratur, alias possent homines non servare præcepta, ut suis lucris attenderent. Ita fere Bart. in l. *Non duorum*, c. de Legibus, n. 9, quem alii multi secuti sunt, quos late refert Tiraquellus in dicto tract., n. 151. Statim vero n. 152 refert Salicet. contradicentem, et plura contra illam distinctionem congerit Felinus in c. *Si quando*, de Rescriptione, n. 11. Nobis ergo non servit distinctio; nam si damnum sit leve, licet sit in bonis acquisitis, potest non sufficere ad excusandum ab obligatione legis; si vero lucrum cessans sit justum et grave, sæpe æquiparatur damno, moraliter loquendo, ut constat ex lege unic., c. de Sententia quæ pro eo quod interest profer., in fine. Et usu receptum videmus excusari aliquem ab observatione festi, ne currentem et transeuntem occasionem magni lucri amittat. Igitur, licet vitatio damni emergentis ex genere suo justior et gravior causa sit, tamen etiam alia potest sufficere, et in universum loquendo, omnia sunt consideranda ut prudens judicium in contingenti casu feratur.

CAPUT VIII.

QUOMODO DE EXCUSATIONE OCCURRENTE CONSTARE DEBEAT UT EPIIKIA UTI ET LEGEM NON SERVARE LICEAT SINE RECURSU AD PRINCIPEM.

1. *Si lex ex aliqua circumstantia sit iniqua, cessat obligatio sine recurso ad principem.* — Hæc omnia postulatur in posteriori ratione dubitandi cap. 5 proposita, et inter se sunt connexa, ideoque simul tractanda ac definienda sunt. Variis ergo modis occurrere potest casus excusationis, scilicet, cum evidentia et certitudine quod tunc malum sit et iniquum servare legem; secundo cum simili certitudine quod lex non obliget licet servari possit sine peccato. Potest autem contingere ut hoc secundum non sit æque certum, sed tantum probabile, vel etiam dubium. Tertio, potest esse casus tantum probabilis in utroque; quarto, dubius in utroque; quinto, potest esse certum

in observatione legis nullum esse peccatum, excusationem autem ejus esse tantum probabilem aut dubiam. Primo ergo dicendum est, quando certo constet materiam legis ex accidenti eventu vel circumstantia factam esse iniquam, seu contrariam alteri præcepto aut virtuti magis obliganti, tunc cessare obligationem legis, et propria auctoritate posse omitti sine recurso ad principem. Sumitur ex D. Thoma, d. quæst. 120, art. 1, ad 3, dicens: *In manifestis non est opus interpretatione, sed excusatione.* Idem fere habet dicta quæst. 96, art. 6, ad 2, ubi etiam Cajetanus et omnes. Et ratio est, quia ibi superioris auctoritas nullum effectum habere potest; nam etiamsi, post recursum ad illum, vellet ut subditus legem servaret, non posset illi obedire, quia obediendum est Deo magis quam hominibus; ergo impertinens est in eo casu licentiam postulare. Dices: interdum propter bonum ordinem servandum necessaria est licentia petita, etiamsi non sit necessaria obtenta; ergo saltem ob hanc causam erit consulendus princeps in hujusmodi casu, quando periculum non imminet, et datur locus ac tempus ad id præstandum. Respondeo, ex communi sententia, etiam hoc non esse necessarium in tali casu, quia nulla est lex quæ obliget ad illam facultatem petendam, nec ex natura rei est necessaria, quia subordinatio subditi ad legislatorem per se illam non postulat. Si autem in aliquo casu publico id iudicetur necessarium ad vitandum scandalum, vel propter aliam similem causam, id est accidentarium.

2. *Certitudo legis non obligantis tollit recursum ad principem.* — Secundo dicendum est: quando certo constat legem non obligare, etiamsi possit sine peccato servari, subditus propria auctoritate potest illam non servare. Probatur eadem ratione, et ita doctores de his duobus casibus indistincte loquuntur; solum ergo illos distinguo ut notem differentiam, quia in priori casu non solum potest subditus, sed etiam tenetur legem non servare, sive petat licentiam a superiore, sive non petat; at vero in hoc posteriori casu, licet possit agere contra verba legis, ad hoc non obligatur quando certus est in observantia legis non committi peccatum. At si de hoc dubitet, pro ratione dubii judicandum erit. Nam si dubium sit tantum formidinis, et probabiliter iudicet non esse peccatum conformari verbis legis, libere poterit id facere si vellet, quia judicium probabile tollit practice dubium. Si autem dubium sit proprium et negativum, tenebitur subditus

partem securiorem sequi, et abstinere ab opere, licet videatur conforme verbis legis, quia tunc nullum habet principium quo expellat practicum dubium, quia tunc ille est certus se non peccare non observando legem, cum supponatur esse certus quod illa non obliget; ergo tenetur illam viam certam sequi et relinquere dubiam. Patet consequentia, quia tunc nec juvari potest auctoritate legis seu superioris ad deponendam conscientiam dubiam, quia jam illi certo constat legem non comprehendisse opus illud de quo est dubium, ut supponitur, nec etiam potest juvari iudicio probabili, quia nullum habet, ut etiam supponitur; ergo nullo modo licet operari cum tali dubio, quod necessario esse debet practicum.

3. *Judicium probabile tollit recursum ad principem.* — Tertio, dicendum est: qui probabiliter iudicat legem non comprehendere casum illum, secure potest excusari ab obligatione legis, etiamsi formidet vel utrinque habeat rationes probabiles dubitandi. Ita tenent Cajetanus et Soto supra, et Medina, et alii moderni in dicto articulo 6. Sumitur ex Sylvest., verb. *Papa*, quæst. 16, in fine, saltem juxta distinctionem infra dandam. Idem Cordub., Henriq. et Sanci. infra referendi, et idem sentit Navarrus in Summa, prælud. 9, n. 16, cap. 23, n. 43, dicens excusari a peccato mortali qui transgreditur legem humanam bona fide et ex justa causa; illam vero esse causam justam ob quam legislator, si adesset, eum pro excusato haberet. Utrumque autem concurrat in præsentem, ut constat; unde fundamentum assertionis est, quia licet sequi iudicium probabile, conscientiam dubiam practice deponendo.

4. *Limitatio Cajetani et Soto.* — *Duplex modus epikie notandus.* — Hanc vero assertionem limitant Cajetanus et Soto supra, ut locum habeat quando occasio est subita et urgens periculum, ita ut non detur tempus consulendi superiorem; alioqui dicunt in illo casu recursum esse ad superiorem; et ita exponunt divum Thomam utentem illa distinctione, quia non potest in alio dubio verificari, ut statim dicemus. Hæc vero doctrina aliquibus modernis non placet, neque putant distinctionem illam divi Thomæ de casu in quo potest vel non potest conveniri superior, posse applicari ad casum formidolosum cum iudicio probabili, quia quod superior possit vel non possit conveniri, nihil refert ad certitudinem iudicii de tali casu, an sub lege comprehendatur necne. Ideoque distinguunt duos modos epikie supra, scilicet, vel excipiendo casum a potestate le-

gislatoris, vel a sola voluntate. Et in priori dicunt posse subditum, ex probabili iudicio quod talis casus non comprehendatur sub potestate legis, excusari a legis observatione, nulla expectata interpretatione superioris, non solum in casu subito et urgente, sed etiam in quolibet alio. Probatur, quia tunc non agitur de interpretanda superioris voluntate, sed de potestate quam non tenemur interpretari ex iudicio ipsius principis, quando ipse illam non declaravit, sed ex principiis theologiæ aut juris. Et declaratur amplius: nam, licet Pontifex possit suam potestatem declarare per clavam scientiæ, nihilominus quamdiu illa non utitur non tenemur illum consulere de potestate sua, sed regulis doctrinalibus uti; ergo etiam in particulari casu qui a potestate legislatoris excipitur secundum aliquas doctrinas probabiles, non est necessarium ad interpretationem principis recurrere, etiamsi tempus detur, sed licitum erit probabili iudicio iuxta probabilem opinionem uti. Confirmatur, quia si subditus iudicat nunc verba legis non obligare, quia probabiliter iudicat esse peccatum in tali facto, tunc utrinque videtur esse periculum speculativum, vel faciendi contra hanc legem, vel contra aliam; ergo licitum est subdito servare aliam quam probabiliter iudicat esse graviolem et magis obligare, neque ad hoc indiget interpretatione superioris. Si vero iudicium probabile est superiorem excedere potestatem suam præcipiendo rem graviolem, vel cum majori periculo quam possit, tunc subditus probabiliter credit non potuisse ferri præceptum pro tali casu, et alias suam libertatem possidet; ergo potest jus suum anteferre, et contra verba legis pro sua libertate operari absque alia interpretatione.

5. At vero in altero modo epiikiae in quo casus excipitur a sola voluntate et non a potestate legislatoris, ait hæc opinio non solum esse recurrendum ad superiorem, quando fieri potest in casu probabili, sed, etiamsi casus sit moræ impatiens, nec det tempus recurrendi ad superiorem, non licere uti iudicio probabili ad non servandam legem, sed omnino esse ad litteram servandam: ratio est, quia tunc est certum nihil peccari servando legem; itemque est certum verba legis de se comprehendere casum illum et a legislatore comprehendi potuisse; ergo quamdiu non constat certo legislatorem casum illum excipere voluisse, non licet a verbis legis recedere propter solum probabile iudicium. Probatur consequentia, tum quia verba legis suam vim et auctoritatem ha-

bere debent et quasi jus suum possident, et ideo præferenda sunt; tum quia hæc est tutior pars, quæ semper præferenda est, tum etiam quia tunc non peccat lex, etiamsi casum illum comprehendat: ergo non potest per epiikiam emendari; tum denique quia si hæc licentia detur, infinita sequentur incommoda: et ideo jurisperiti dicunt, cum verba legis sunt clara, non esse ab illis recedendum in casu dubio, ut Panormit. in cap. 1 de Const., n. 14. Denique hic applicari potest illa ratio, quia in casu in quo potest conveniri superior non licet uti illo probabili iudicio: ergo nec tunc etiam quando non potest conveniri, quia quod possit vel non possit conveniri non facit ut sit magis certum iudicium.

6. *Quando non potest conveniri superior, licet uti epiikia ex probabili iudicio.* — Nihilominus sententiam Cajetani et Soto censeo esse practice certam quoad hanc partem, ut, quando non potest conveniri superior, liceat ex probabili sententia aut iudicio epiikia uti, sive casus excipi iudicetur a potestate legislatoris, sive a sola voluntate. Ratio est, quia iudicium probabile in rebus moralibus sufficit ad prudenter operandum, præsertim ubi regula certa applicari non potest, ut ex materia de conscientia suppono. Item quia alius modus operandi est ultra humanam conditionem et prudentiam, cum omnis fere cognitio humana conjecturalis sit, et præsertim in rebus agendis. Item quia imponeretur gravissimum onus hominibus, si nunquam liceret eis uti epiikia ex iudicio probabili, quando non patet aditus ad superiorem. Quis enim aunderet unquam excusari a lege positiva propter necessitatem occurrentem, cum nemo sit tam certus de sufficientia causæ quin dubitet vel formidet. Item in his casibus non possent simplices sequi consilium hominis docti et pii, nec ipse posset tale consilium dare, quia nunquam fere ducitur nisi iudicio probabili. Constat autem contrarium esse in usu totius Ecclesiæ, et approbari ab omnibus doctoribus. Addo sine causa constitui in hoc differentiam inter epiikiam per exceptionem a potestate vel a voluntate: nam, licet in hoc sit verum discrimen quod in priori modo possit ordinarie esse major certitudo quam in secundo, quia certius cognoscitur potestas, quæ libera non est, quam voluntas, quæ libera est, nihilominus stante æquali incertitudine cum probabilitate in iudicio, eadem est ratio, saltem ubi certo constiterit legem posse servari sine peccato, quia tunc etiam verba legis retinent vim suam; et fere applicari pos-

sunt aliæ rationes in posteriori membro allatæ. Maxime quia quoties epiikia non fundatur in iudicio certo, licet excipiat casum a potestate legislatoris, semper debet etiam inniti in conjecturata mente ejusdem legislatoris, quod, scilicet, noluerit talem casum comprehendere. Nam cum non est certum, superiorem non posse hoc præcipere; propter rei arduitatem aut inordinationem, si ipse superior nihilominus ex certa scientia id præcipiat, declarans se posse, et iudicans in tali actu non esse inordinationem vel nimiam gravitatem, subditus tenetur obedire, dum non est certus, etiamsi probabiliter iudicet, quia prævalet jus superioris, et subditus debet suum iudicium deponere, ut est communis doctrina, et in praxi necessaria: ergo in illo casu de epiikia non sufficit probabile iudicium de defectu potestatis, nisi accedat etiam iudicium quod superior in eo casu sic dubio noluerit obligare: ergo cum hoc tantum sit probabile non sufficit, vel certe si sufficit iudicium probabile de potestatis et voluntatis defectu, sufficit etiam iudicium probabile de defectu solius voluntatis.

7. Ultimo posset sufficienter confutari illa opinio quoad hanc partem, quia rationes ejus non sufficiunt ad imponendum gravissimum onus; deberent enim convincere vel illud sufficientissime probare, maxime contra communem sententiam. Ad principale ergo fundamentum negatur consequentia; ad primam probationem respondeo verba legis sine voluntate non habere vim nec auctoritatem ad obligandum; verba enim legis secundum se tantum sunt ad ostendendam voluntatem legislatoris tanquam signum expressum ejus; non est tamen hoc signum tam certum quin possit ex circumstantiis limitari et extendi, ut supra visum est; ergo quando ex circumstantiis occurrentibus probabiliter limitantur verba ut non comprehendant casum aliquem, jam ex vi verborum non est certum comprehendi sub significatione verborum legis. Unde cum dicitur verba legis quasi possidere jus obligandi, respondeo inde solum probari, in casu omnino dubio vel cæteris paribus, præferenda esse verba legis, et secundum illa esse iudicandum de voluntate, non vero ubi est in contrarium iudicium probabile. Ad aliud autem de parte tutiori respondeo satis esse sequi practice tutam, ut alibi dixi. Deinde dico magis cavendum esse ne recedatur a voluntate legislatoris quam a verbis ejus, ut jura docent. Ad illud quod tunc non peccat lex respondeo, licet non peccet præcipiendo malum vel nimis arduum, peccare

posse plus significando quam legislator voluerit, et hoc posse per epiikiam emendari. Neque hinc sequentur incommoda si revera iudicium probabile et prudens servetur; quod vero sequi possint per abusum, impertinens est, multoque majora sequentur si homines non possint, in hujusmodi eventibus, iudicium probabilibus uti. Panormitanus autem et juristæ loquuntur de iudice qui tenetur secundum leges iudicare et inter partes justitiam distribuere, et ideo debet sequi verba legis quando sunt clara, nisi in eodem iudicio possit sufficienter probari aliam fuisse voluntatem principis: nam tunc secundum illam posset iudicare.

8. *Quando non est periculum in mora, quid faciendum.* — Major mihi difficultas est circa aliam partem opinionis Cajetani, quod stante iudicio probabili non liceat illo uti sine interpretatione vel consensu superioris, quando non est periculum in mora, sed conveniri potest; quia in interpretanda etiam lege naturali utuntur sententia probabili sine recursu ad Papam vel Prælatos; ergo in legibus humanis potest etiam id fieri quoad particularem usum. Sic enim dicunt juristæ posse iudicem ad ferendam sententiam probabiliter interpretari legem in casu dubio, nec oportere ut ad superiorem recurrat, ut constat ex Bart., in l. 1, c. de Legib., n. 8 et 9, et aliis ibi, et in c. 1 de Constit. Dices id esse verum quando agitur de interpretatione legis quoad sensum ejus. Sed contra; nam cur non erit idem quando aliter conjecturamus mentem seu voluntatem legislatoris, vel cur potius erit necessarius recursus ad superiorem, quando probabiliter constat de voluntate ejus præter ejus verba, quam cum probabiliter tantum constat de sensu ejus in ambigua significatione verborum? Denique in quolibet alio eventu licet uti in conscientia probabili sententia sine recursu ad superiorem, etiamsi ab illo posset expectari certius responsum: ergo.

9. Nihilominus in hoc etiam non est recedendum a communi sententia, quæ videtur usu omnium piorum et prudentum confirmata. Et ad hoc suadendum valere possunt rationes factæ in secundo membro præcedentis sententiæ; et præterea quia inordinatum est uti conjecturis, et propter illas solas relinquere verba legis, ubi poterit certo constare de mente et voluntate legislatoris. Et ideo in omni epiikia solum probabili debet hic ordo servari. Et quamvis ordinarie magis necessarius sit in epiikia quæ est de sola voluntate legislatoris, quam in illa quæ circa potestatem versatur,

nihilominus in utraque servandus est juxta materiæ necessitatem vel probabilitatis gradum, quia, ut dixi, semper ibi miscetur conjectura de voluntate legislatoris. Neque contra hoc obstat illa ratio, quod judicium non reditur certius ex hoc quod sit vel non sit recursus ad superiorem. Hoc enim est verum de certitudine speculativa, non vero de certitudine practica. Nam cum potest consuli superior, cessat necessitas utendi judicio probabili de voluntate ejus, quod secus est quando est periculum in mora, et ideo tunc potest illud judicium probabile ad praxim applicari ex principiis certis, quod in necessitate uti possumus judicio probabili ad evitandum aliquod gravamen, vel ad convenientem observationem legum, ut in casu magis difficili et dubio explicabitur in puncto sequenti.

10. *In dubio non probabili ad superiorem recurrendum.* — Quarto, dicendum est de casu dubio in quo judicari non potest probabiliter an casus comprehendatur sub legis obligatione, necne. In quo sententia communis est recurrendum esse ad superiorem si fieri possit; vel, si non possit, servandam esse legem. Ita D. Thom. dicta q. 120, art. 1, ad 3, dicto art. 6, ad 2. Idem Conrad., Cajet., Medin. et Soto supra; Medin., Cod. de Pœnit., tract. de Jejun., cap. de His qui tenentur ad jejun. Quæ sententia per se evidens est in casu patiente moram ut consulatur princeps; nam si in casu tantum formidoloso et probabili hoc fieri debet, multo magis in casu dubio. Item tunc impossibile est operari cum conscientia certa practice, quia ex tali dubio nascitur practica dubitatio an tunc lex violetur necne, agendo contra verba ejus, et nullum est morale principium quo possit practice deponi illa conscientia dubia, inconsulto superiore, quando ille potest consuli: ergo nunquam licet cum illo dubio agere contra verba legis, quia operari cum conscientia practice dubia semper est malum. Denique tunc lex possidet suum jus, et in aliis melior est conditio possidentis: ergo.

11. *Prima opinio de casu urgente.* — *Secunda.* — Difficultas vero est an idem dicendum sit in casu urgente in quo superior consuli non potest. Multi indistincte dicunt etiam tunc non licere uti epikia, sed servandam esse legem et ejus verba. Ita Cajet. 1. 2, quæst. 96, a. 6, qui ita interpretatur D. Thomam ibi ad 2 indistincte loquentem. Idem Soto, dicto art. 8; Med., d. art. 6, ad fin., dist. 3; et alter Medin. supra, et omnes moderni, et Sanci., lib. 2 de Matrimon., disput. 41, n. 37. Ratio est, quia

impotentia consulendi principem non potest in eo casu dare certitudinem practicam, cum dubitans nec judicium probabile habeat de cessatione obligationis legis in illo casu. Item in casu dubio præsumptio est pro lege, quia verba ejus per se sufficiunt ad obligationem, unde ad minimum se habet tanquam possidens in casu dubio cujus melior est conditio: ergo. Contrarium nihilominus tenet Sylvester dicto verbo *Papa*, quæst. 16, dict. 2, in fine; cum enim dixisset in dubiis interpretationem legis pertinere ad superiores subdit: *Quod limita, si commode possit haberi, alias secus, ut cum in repentinis periculum est in mora.* Idem cum majori extensione habet verb. *dispensatio*, q. 4; sequitur Cordub., lib. 3, quæst. 13, ante regulam 1; Henriq., lib. 14 de Irregul., c. 3, n. 3, litter. X. Duci videntur ex illo vulgari principio quod necessitas caret lege; hoc enim allegat Sylvest. ex Gratian. in § *Sed notandum*, post cap. *Remissionem*, 1, quæst. 1, et habetur in cap. 2 de Observat. jejun.; illa autem videtur gravissima necessitas, cum res sit dubia et non detur locus consulendi superiorem; nam videtur nimis grave obligare hominem propter solum dubium, quando non est in potestate ejus dubium expellere. Item qui dubitat de lege vel de voto non obligatur quando non potest expellere dubium; ergo neque qui dubitat an hic et nunc lex obliget.

12. *Prior sententia cum moderamine approbatur.* — *Doctores primæ sententiæ exponuntur.* — Mihi prior sententia vera videtur, adhibito moderamine. Dico ergo, si dubium nascatur ex concurrentia legum quæ pro eodem tempore simul impleri non possunt, et homo dubitat quid facere debeat, tunc licite posse agere contra verba unius legis, implendo eam quam tunc, facta diligentia morali juxta personæ et temporis capacitatem, bona fide judicat esse graviolem et magis obligare. Quia ille homo non debet esse perplexus, nec necessario peccare, et faciendo quod in se est satisfacit uni legi et aliam non transgreditur. Et hunc casum absque ullo dubio non excludunt priores auctores, sed ut tritum et vulgare illum supponunt: unde loquuntur de casu in quo certo constat legem sine peccato impleri posse, et dubium est de obligatione. Et tunc certitudo practica fundatur in illo principio, quod in dubio satisfacit quis eligendo partem tutiorem: tunc etiam recte applicatur illud principium, quod necessitas caret lege. Deinde tunc non est epikia voluntaria, ut sic dicam, sed necessaria, quia in eo casu non solum potest quis

non servare legem positivam, sed etiam tenetur ut servet aliam naturalem quam reputat graviolem. Unde etiam recte potest in eo casu proferri judicium positivum, non solum probabile, sed etiam certum, in eo casu legem positivam non ligare, quanquam hæc certitudo magis sit practica quam speculativa.

13. *Doctores secundæ sententiæ quomodo intelligendi.* — At vero quando ex alia parte non est periculum peccati, et subdito constat posse sine peccato servare verba legis, nullo modo potest in casu dubio de obligatione agere contra legem, quia manifeste se exponeret periculo peccandi transgrediendo legem, de qua judicium probabile formare non potest quod cessaverit obligare, ut plane ostendunt rationes prioris opinionis. Et fortasse auctores secundo loco allegati non loquuntur de hoc dubio, sed de dubio formidinis, juxta dicta in præcedenti puncto. Nec tunc allegari potest necessitas sufficiens, quia illa non est necessitas vitandi aliud peccatum, ut supponitur: nulla autem alia potest esse sufficiens ad non servandam legem, nisi etiam sufficiens sit ad probabiliter judicandum legislatorem in tali necessitate vel non potuisse vel noluisse obligare; nam si tantum sufficit ad dubitandum, profecto et parva est necessitas, et major est necessitas servandi legem, vitando periculum peccati, et quasi considerando illam in possessione sua. Nec est simile quando dubitatur de tota lege an sit lata necne, quia tunc lex nondum possidet, sicut in simili dixi de voto., l. 4 de Vot., c. 5 et 6.

14. Atque ex his tandem responsum est ad secundam rationem dubitandi cap. 5 positam. Nam l. 1, c. de Legibus, intelligitur primo de interpretatione authentica quæ vim habeat obligandi, et necessitatem inducat ita intelligendi legem. Ita Bart. ibi, n. 8; et sentit Bald. in leg. *Cum de novo*, eodem. Secundo, etiam intelligitur de interpretatione in casu dubio in quo subditus non poterit restringere legem contra verba ejus, ut dictum est, et ita exponit Panorm., cap. 1 de Constitut., n. 14, et insinuat Bald. in leg. 2, c. de Legib., n. 2, et sumitur ex leg. *Cum de novo*, c. eodem, ubi id notat Cynus. Glossæ vero et auctores relati ibidem in tertia objectione ad verum sensum facile trahi possunt; nam prima Glossa loquitur quando ratio legis negative tantum cessat, et non contrarie; altera vero Glossa intelligenda est in casu dubio in quo non licet æquitatem sequi contra jus scriptum inconsulto principe, nisi ipsamet æquitas scripta sit, ut

dicitur in l. *Placuit*, c. de Judiciis, juxta vulgatam lectionem ejus. Et in eodem sensu videntur locuti auctores in eadem objectione allegati.

CAPUT IX.

UTRUM ALIQUANDO LEX TOTA PER SEIPSAM CESSET, CAUSA EJUS CESSANTE.

1. *Lex de se perpetua est, et pro communitate fertur.* — Cum lex sit de se perpetua et pro communitate fertur, manifestum est non posse cessare ex defectu causæ efficientis; non enim finitur per mortem ferentis vel successoris, ut ex dictis in lib. 1 constat, et consequenter nec per solam temporis successionem tollitur, quia indefinite constitui debet. Quod si aliquando potest ad certum tempus ferri, illud extraordinarium est, et tunc in suamet constitutione habet talis lex quasi annexam revocationem pro tali tempore, quæ pertinet ad alium modum ablationis legis infra tractandum. Præterea non cessat lex ex defectu eorum pro quibus fertur; nam communitas civitatis aut populi de se perpetua est; nam per continuam successionem conservatur, et licet civitas vel populus omnino deleri possit, id rarum est et non habet moralem considerationem. Igitur solum potest lex cessare per mutationem objecti, circa quod versatur, quæ (physice loquendo) potest multipliciter contingere; tamen in præsentis solum oportet considerare mutationem in materia legis, quoad rationem propriam ob quam sub obligationem legis constituitur; nam si illa perseverat, non cessabit lex ex illo capite, ac subinde simpliciter non cessabit nisi revocetur, quia non habet aliam causam mutabilem a qua in sua conservatione pendeat, ut declaratum est. Si autem in objecto sub ea ratione spectato fiat mutatio, undecumque illa mutatio proveniat, eadem est quæstio, an ex vi talis mutationis in materia legis desinat ipsa lex; idem enim est quærere an, cessante omnino et totaliter ratione vel fine legis, cesset etiam lex ita ut omnino extinguatur et de medio tollatur. Dico autem *cessante omnino et totaliter ratione legis*: quia jam hic non consideratur cessatio in uno, vel alio actu, nec alia similis mutatio partialis, quæ solum contingit in una occasione vel in aliqua parte materiæ legis pro aliquo tempore; nam de hac partiali mutatione satis dictum est in capite præcedenti; quamvis aliter possit in præsentis considerari partialis mutatio, vel